



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacræ
Theologiæ Professoris, Cursvs Philosophicvs Vniversvs**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disput. VI. De Ordine Transcendentali Dei ad creaturas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

ctus objectum illud amplius representare, magis quam actus representans eorum potest illum adhuc representare, si fingamus eum reddi leonem, cum actus representans principium hincibile representare nequeat principium rugibile.

VII. Quæres tertio, utrum sicut causa pendet essentialiter à possibilitate effectus, ita effectus vicissim essentialiter pendeat à possibilitate causæ? Resp. in rebus univocis non est dubium quin sit mutua hæc dependentia, per accidens enim in ijs est quod una sit causa, alia effectus, sicut enim ignis A produxit ignem B, ita ignis B producere potuisset ignem A: & sic de reliquis.

VIII. Idem existimo de causis & effectibus æquivocis, ut de luce respectu solis, calore respectu ignis, & similibus. Sicut enim est prædicatum intrinsicum talis causæ posse producere talem effectum, ita vicissim est prædicatum intrinsicum talis effectus posse produci à tali causâ, & tam peculiariter respicit, non aliam: rosa enim spinam, non myrtum: uvæ vitem non ficum respiciunt, utpote quæ solæ producere eas possunt: quibus proinde implicantibus, uvæ implicabunt, & rosa.

IX. Quæres quarto, an idem referri transcendentaliter possit ad seipsum? Quæro ergo vicissim quid requiratur ut cenleatur aliquid transcendentaliter referri. Si dicas, requiri ut realis intercedat distinctio, facilis est responsio, clarum enim est hoc sensu non posse idem ad se referri, cum à se realiter non distinguatur. Sin verò dicas, distinctionem realem ad hoc non esse necessariam, sed requiri solum ut idem se representet, aut aliquid hujusmodi, idem hoc sensu referri potest ad seipsum; actus enim qui dicit, om-

nis actus intellectus est spiritus, se inter alios actus representat, quamvis modus loquendi quo aliquid ad se dicitur transcendentaliter referri, mihi non adeo videatur proprius.

X. Quæres quinto, qualis sit dependentia causæ ab effectu in esse possibili? Resp. esse tanquam à comitante, licet enim causa quoad actualem existentiam sit prior effectu, & tribuat ei actu existere, in esse tamen possibili æqualiter à se invicem pendet, sicque quoad possibilitatem habent se comitanter.

XI. Quæres sexto, an res naturales relationem etiam transcendentalem dicant ad supernaturales, ita ut his implicantibus, illæ similiter implicent? Negat P. Ripalda Tom. I. de Ente supernaturali, d. 31. l. 2. unde ait, implicante actu quocunque naturali, implicaturam potentiam, implicantibus verò omnibus actibus supernaturalibus non implicaturam.

XII. Existimo nihilominus parem de utrisque estimationem: nec minus implicantibus actibus supernaturalibus, mutatum iri in Chimæras potentias omnes naturales, quam implicantibus actibus naturalibus. Ratio est, quia potentia non minus verè & propriè concurrunt ad actus supernaturales, quam ad naturales, unde hoc prædicatum, posse scilicet producere actum supernaturalem, non est ipsis minus intrinsicum quam posse producere naturalem, estque vera virtus, & quæ competere nequit negationi, aut Chimæra, ergo implicante actu supernaturali, non minus implicaret hoc prædicatum, quam implicante naturali, aliud, ergo similiter implicaret potentia.

DISPUTATIO VI.

De ordine Transcendentali Dei ad creaturas.

SECTIO PRIMA.

An Deus transcendentaliter referatur ad creaturas.

I. AD vitandam quæstionem de nomine, recordandum quod supra dixi sect. I. n. I. per relationem scilicet transcendentalem intelligere nos connexionem essentialem unius rei cum alia, ita ut hæc implicante, illa similiter implicaret. Quærimus itaque an Deus hoc modo cum possibilitate creaturarum connectatur; Suarez enim, Herice, Falsolus l. p. q. 12. a. 8. d. II. & alij nonnulli, licet ejusmodi connexionem concedant Dei cum creaturis, eum tamen transcendentaliter ad illas referri negant.

II. Prima itaque sententia affirmat dari hujusmodi connexionem essentialem inter Deum & creaturas possibles. Ita Suarez l. p. l. 3. de Attrib. cap. 9. n. 13. & alibi, licet nolit vocari relationem. Herice l. p. d. 5. n. præcipue 48. Tann. l. p. d. 4. q. 4. d. 3. Marat. de Deo d. 18. l. 2. Granado l. p. r. 6. d. n. 5. Arria. d. 7. Phys. l. 2. n. 20. & alij plurimi ex recentioribus.

III. Secunda sententia connexionem hanc inter Deum & creaturas negat. Ita Vasq. l. p. d. 104. c. præsertim 6. citans Cajet. Capreol. Ferr. Scotum & alios. Albertin. in Prædicam. ad aliquid, coroll. 2. Alarcon. d. 2. de scien. Dei. Oviedo e. 10. Met. p. 4. n. 11 & omnium acerrimè P. Hurtado d. 15. Met. l. 9. n. 104. & ex recentioribus non pauci.

IV. Prima conclusio: nullam argueret imperfectio. R. P. Th. Comptoni Philosophia.

nam in Deo essentialis hæc connexio cum creaturis possibilibus. Probatur primò, imperfectio hæc est fer; quod creaturâ per impossibile implicante, definiret Deus, sed nullum est inconveniens quod Deus desineret sub conditione impossibili; ergo. Probatur minor, non est inconveniens quod alia Dei attributa labefactarentur sub conditione impossibili, ergo nec quod sub simili conditione labefactaretur ejus existentia. Antecedens probatur, si Deus non daret præmium bene operantibus promissum, esset injustus, vel secundum omnes infidelis: si falsum diceret, non esset verax; si mentiretur, peccaret; ergo justitia Dei, fidelitas, veracitas, & sanctitas labefactarentur sub conditione impossibili; ergo nullam est inconveniens quod sub simili conditione idem contingeret illius existentia. Cujus ratio est, quia cum impossibile sit ut conditio illa (utpote impossibilis) ponatur, æquè est Deus eius necessarium, ac si à conditione illa penitus non dependeret.

Dices; sequitur saltem Deum non esse magis necessarium quam sint necessariae creaturæ possibles. Hoc autem parum videtur dignum Deo; cum impossibile omnium maxime impossibile sit non esse Deum. Contra primò, idem argumentum fieri potest de alijs Dei attributis, ut proxime ostentum est.

Contra secundò, si enim sermo sit de formali & propria impossibilitate, mihi probabile videtur impossibile omnia, quæ sunt simpliciter talia, esse æquè impossibilia, sicut omnia falsa sunt æqualiter falsa.

Relatio transcendentis ad creaturas nullam in Deo argueret imperfectio. Probatur primò, si Deus desineret sub conditione impossibili, non est inconveniens quod alia Dei attributa labefactarentur sub conditione impossibili, ergo nec quod sub simili conditione labefactaretur ejus existentia. Antecedens probatur, si Deus non daret præmium bene operantibus promissum, esset injustus, vel secundum omnes infidelis: si falsum diceret, non esset verax; si mentiretur, peccaret; ergo justitia Dei, fidelitas, veracitas, & sanctitas labefactarentur sub conditione impossibili; ergo nullam est inconveniens quod sub simili conditione idem contingeret illius existentia. Cujus ratio est, quia cum impossibile sit ut conditio illa (utpote impossibilis) ponatur, æquè est Deus eius necessarium, ac si à conditione illa penitus non dependeret.

ided enim hæc sunt æqualiter falsa, quia excludunt omnem veritatem, & omnis mors est æqualis, quia destruit omnem unionem inter animam & corpus, & tollit omnem vitam. Cum ergo impossibilia omnia excludant omnem possibilitatem, erunt æqualiter impossibilia. Quare docti quidam recentiores asserunt nullum esse inconueniens concedere Deum non esse magis necessariū in existentia, quam creaturæ sint in possibilitate, nisi tantum necessitate dignitatis & excellentiæ. Ita Suarez l. 9. de Trin. c. 6. à n. 18. & Tann. i. p. d. 4. q. 4. d. 4. n. 31. & 32. & alij.

Dicunt aliqui Deum non esse magis necessariū creaturis possibilibus.

VII.

Possibilitas creaturarū elevatur ad necessitatem existentia Dei.

Tertiò Respondeo, etiam admittis inæqualitate inter impossibilia, nihilominus æquè impossibile esse creaturas non esse possibles, ac Deum non esse, non quòd impossibilitas non-existentiæ Dei deprimatur ad illum solum gradum impossibilitatis, quo impossibile est creaturas possibles non esse possibles, sed quòd possibilitas creaturarum elevetur ad gradum necessitatis, quo impossibile est Deum non esse. Dico itaque tam impossibile esse creaturas non esse possibles, quam Deum non esse, sicque earum possibilitatem esse æquè necessariam, ac necessarium est Deum esse, necessitate tamen extrinsecâ, non intrinsecâ. Quod ut intelligatur

VIII.

Possibilitas & existentia rei duobus modis possunt esse necessaria.

Notandum, possibilitatem, sicut & existentiam alicujus rei duobus modis esse posse necessariam: uno modo ex ipsis prædicatis rei intrinsecis; alio modo ob exigentiam extrinsecam alterius rei, quæ illius possibilitatem vel existentiam requirit. Claritatis gratiâ ponamus exemplum in sole, qui licet posito quòd producat, petat connaturaliter ex prædicatis suis intrinsecis perpetuò durare, cum sit incorruptibilis, sicut Angelus, & consequenter sit naturaliter necessarius, si tamen detur ei duratio indivisibilis (quam plurimi putant esse possibilem) quæ petat essentialiter per horam aut diem durare, posito quòd semel producat, jam ab hac duratione, seu ab extrinsecò longè major soli accrescet necessitas persistendi in esse per diem vel horam, quam sit illa quam ex naturâ suâ, & prædicatis intrinsecis habebat; duratio enim illa, cum essentialiter petat durare per horam, e.g. non potest nec divinitus ante horam illam elapsam destrui. Deinde cum sit modus, petit essentialiter ut sol ejus subiectum tamdiu etiam, seu per horam duret, cum esse nullo modo possit sine subiecto.

IX.

Creatura possibilis secundum se habent inferiorem gradum necessitatis.

Idem dico de creaturis possibilibus, quæ, si spectentur præcisè secundum prædicata intrinsecâ, habent gradum necessitatis inferioris ordinis sibi proprium; ut verò sunt terminus relationis transcendentalis, quam Deus ad eas dicit, longè magis necessariò ab hoc extrinsecò respectu sunt possibles, quam ex naturâ suâ, & ab intrinsecò. Sicut similiter si Deus dicat solem cras oriturum, aut ignem combusturum, longè magis necessariò sequetur ortus solis, & ignis combustio ob hanc dictionem Dei, quam ex causis naturalibus, licet ex ijs etiam necessitate aliquâ sequerentur. Quod dictio Dei in eo casu faceret in existentibus, facit potentia in possibilibus.

X.

Secundò, & præcipuè probatur conclusio, nempe non arguere in Deo imperfectionem, quòd hoc modo dependeat à creaturis possibilibus. Non est imperfectio in Deo ut dependeat hoc modo, seu habeat essentialem connexionem cum re impossibili ut impossibili, ergo non est imperfectio ut hac ratione dependeat, & habeat essentialem connexionem cum re possibili. Consequentia est clara, antecedens probatur; Deus de facto habet hujusmodi connexionem cum re impossibili ut impossibili, ergo. Antecedens probatur, Deus habet connexionem cum impossibilitate alterius Dei, seu cum alio

Deo ut impossibili, si enim alius Deus, seu ens ali-quod simpliciter infinitum, immensum, omnipotens, æqualis cum Deo sapientiæ, felicitatis, bonitatis, aliarumque perfectionum divinarum, verè & realiter existeret à parte rei, seu aliquid quod solo numero ab hoc Deo differret, Deus desineret, cum unitas Dei essentialiter postulet ut unicus tantum eodem tempore sit Deus. Conf. periret tunc unum Dei prædicatum, nempe unitas, ergo periret Deus, uno enim prædicato pereunte, perirent omnia, cum realiter identificentur.

XI.

Hinc apertè retellitur quod tantà contentione urget P. Hurt. d. illà 15. Met. f. 9. n. 105, & nonnulli ex adversarijs, dedecere nimirum Deum, facere illum dependentem à simiâ, vel formicâ. Sed contrâ, in-qui-ro enim utrū magis dedecet facere Deum dependentem à formicâ, quàm à Chimærâ, ita ut si hæc esset possibilis, Deus foret impossibilis? sicut è contrario arguunt ipsi de impossibilitate formicæ; & tamen omnes dependentiam illam Dei à Chimærâ, seu ab alio Deo impossibili admittere necessariò debent, ut ostensum est, ergo. Verum quidem est, si esset propriè dicta dependentia, sicut effectus à causâ, seu tanquam ab influente, argueret imperfectionem, cum verò solum fit dependentia per modum connexionis essentialis, seu tanquam à termino nulla est imperfectio, ubi terminus seu conditio est simpliciter necessaria.

Deus dependet ab alio quo impossibili, ergo dependere etiam poterit à possibili.

XII.

Tertiò probatur conclusio: Deus enim juxta auctores contrariæ sententiæ sine imperfectione dependet à varijs negationibus, ut Natura Divina pendet à negatione productionis simpliciter, & à fortiori à negatione productionis à causâ creatâ, & à negatione creationis, destructionis, mortalitatis, & similibus. Pater in Divinis pendet à negatione nascibilitatis, & sic de alijs, ergo sine imperfectione dependere eodem modo poterit Deus à possibilitate rei positivæ.

Deus dependet à varijs negationibus, quidni ergo & à negatione creationis, destructionis, mortalitatis, & similibus?

SECTIO II.

Ostenditur ulterius Deum transcendentaliter referri ad creaturas.

PRobavimus s. præcedente, nullum sequi inconveniens ex eo quòd Deus connexionem habeat essentialem cum creaturis possibilibus, quæ tamen est præcipua ratio cur contrariæ sententiæ auctores hanc in Deo connexionem negent. Nunc ulterius ostendendum connexionem hanc & relationem transcendentalem in Deo necessariò ab omnibus esse admittendam.

I.

Secunda conclusio: Deus habet essentialem connexionem cum creaturis possibilibus, & hoc sensu transcendentaliter ad eas refertur. Prima & præcipua hujus conclusionis probatio posita est tota s. præcedente.

Deus habet essentialem connexionem cum possibilibus.

Secundò, probatur ratione deductâ ex S. Thoma l. 2. contra Gent. cap. 22. n. 4. ubi ex potentia passivâ creaturarum ut producantur probat esse necessariò debere virtutem aliquam activam, seu potentiam illarum productricem, alioqui, inquit, otiosa esset potentia illa passiva, seu non repugnantis in creaturis ut producantur, frustra enim est potentia, quæ nunquam posset reduci ad actum, ergo similiter si in Deo sit potentia activa, seu virtus productiva, aliquid necessariò esse debet quod possit produci, alioquin otiosa esset hæc virtus activa, ut arguit S. Thomas de potentia passiva; nec enim magis potentia activa reduci ad actum posset, si nulla esset passiva, quàm passiva, si nulla esset activa.

Ratio est, quia frustra est potentia ad effectum impossibilem.

Tertiò

IV. Tertiò probatur, Deus verè & propriè continet has creaturas tanquam virtus earum productiva, ergo necessariò esse debent possibile, alioqui eas non contineret, virtus enim productiva est essentialiter alicujus productiva, ut ex terminis videtur notum.

V. Dices; continet hæc prædicata, sed non determinatè sub conceptu possibilem, sed indeterminatè, nempe secundum se, & nec directè sub conceptu possibilem, nec impossibilem. Contra, continet hæc prædicata tanquam virtus eorum productiva, ergo determinatè (sub conceptu possibilem, nam continet ea sub conceptu producibilem. Contra secundò, continet hæc prædicata, ergo ut possibile, si enim essent impossibilia, non essent hæc, sed alia plus quàm genere distincta; multò enim magis differunt æquus verus & Chimæricus, quàm Angelus & lapis.

VI. Dices secundò; continet hæc prædicata solum conditionatè, unde quantumvis redderentur impossibilia, Deus eodem modo persisteret, & ea respiceret, nempe conditionatè. Contra primò, implicat hujusmodi respectus conditionatus ad impossibilia, ut d. præcedente, s. r. ostendi, primò, præter ibi dicta, quia Deus modò non respicit conditionatè, nec habet veram virtutem conditionatam producendi res impossibiles, nempe hippocervum, trage-laphum, & reliquas Chimæras, sed si res omnes implicarent, essent eodem loco, quo jam sunt Chimæra, ergo non illas tunc respiceret conditionatè. Secundò, sic enim terra modò conditionatè respiceret ignem, lapis actus visionis, æquus actus intellectus, & hujusmodi, si enim esset possibile ignis producibilis à terra, visio à lapide intellectio ab equo, terra, lapis, æquus possent æquè ea producere, ac Deus quidquam producere posset, casu quo omnia redderentur impossibilia. Tertiò, frustra esset illa potentia quæ nunquam posset reduci ad actum, ut n. a. ostendi ex S. Thomà.

SECTIO III.

Solvuntur objectiones contra relationem transcendentalem Dei ad creaturas.

I. Objicitur primò, omnipotentia in suo conceptu formali aliud non dicit quàm quòd sit virtus producendi quicquid non implicat, sed et si creaturæ omnes implicarent, adhuc posset Deus producere quicquid non implicat, ergo adhuc habebit omnipotentiam. Resp. negando minorem, sic enim hippocervus aut alia quævis Chimæra foret omnipotens, si enim omnia essent impossibilia, æquè posset Chimæra producere quicquid non implicat, ac Deus. Dico itaque, in suppositione quòd omnia essent impossibilia, propositio hæc, Deus producere potest quicquid non implicat, est falsa, utpote de subiecto non supponente, supponit enim & esse veram virtutem operativam ad extra in Deo, & aliquid esse producibile ex parte objecti. Sicut eandem ob causam hæc & similes propositiones ab omnibus censentur falsæ, Petrus occidit omnes homines in foro, Paulus, vel lapis videt quicquid est visibile, posito quòd nullus fuerit homo in foro, nec quicquam omnino visibile à Deo producatur.

II. Objicitur secundò; non ideo præcisè res est possibile quia Deus potest illam producere, alioquin è contrario, Chimæra ideo esset impossibilis, quia Deus eam facere nequit, sicque impossibilitas rerum in impotentiam & defectum ex parte Dei refereretur, quod non est admittendum. Resp. rem ex prædicatis suis intrinsicis, seu conceptu objectivo

possibilem esse vel impossibilem, concomitanter tamen saltem se habere in Deo potentiam, vel negationem potentia; juxta possibilitatem rei vel impossibilitatem.

Objicitur tertiò; scientia futurorum eadem in Deo maneret quoad entitatem, etiam si non fuissent hæc futura, sed alia, imò nulla, ergo & scientia possibilem eadem similiter foret, licet non hæc possiblem fuissent, sed alia, vel etiam nulla, ergo & eadem potentia. Resp. in omnibus Dei attributis non esse ponendum mysterium actus liberi, nec rem facilem reddendam difficilem; in scientia enim & volitione liberà specialis est necessitas mysterium illud atruendi, quæ nõ est in alijs attributis. Deinde peculiaris est ratio dicendi potentia in Deo à possibilitate creaturarum dependere, ut ex dictis constat.

Objicitur quartò; magnam in Deo arguit imperfectionem dependere hoc modò à creaturis, sic enim minimà creaturam implicante defineret, imò implicaret Deus. Hoc maxime arguit adversarij, estque veluti fundamentum contrariæ sententiæ, in cuius proinde solutione impendi totam sectionem primam, ubi ostendi idem in simili ab ipsis esse necessariò admittendam. Nulla ergo est imperfectio dependere ab aliquo tanquam à mero termino, ubi terminus ille est simpliciter necessarius.

Objicitur quintò; major saltem esset perfectio Dei, si immunis planè statueretur à creaturis, sic enim magis foret independens, independentia verò dignitatè sonat, ergo tribui debet Deo. Deus enim, ut ait S. August. l. de Doctr. Christ. c. 7. est, quo nihil melius excogitari potest. Contra, omnes enim fateri debent dependere Deum à re impossibili, & varijs negationibus, ut ostendi sect. I. Resp. itaque independentiam præ se ferre quandam dignitatem, esse tamen eam impossibilem in attributo quod in virtute productiva consistit, ut ostensum est. Deo ergo tribui debet perfectissimus conceptus possibilis, non Chimæricus.

Objicitur sextò; Deus est ens perfectè necessarium, sed si dependeat à creaturis possibilibus, non erit perfectè necessarium, ergo. Conf. Deus est perfectissimè ens à se, ergo non potest dependere ab alio. Ad argumentum Resp. non ob stare conceptui perfectè necessarij dependere ab alio quod est simpliciter necessarium. Utrum autem & qua ratione Deus sit magis necessarius quàm creaturæ possibilis, dixi sect. I. Ad Confir. dico, solam dependentiam ab alio tanquam à priori & ab influente ob stare conceptui entis à se, non tanquam à posteriori, vel à termino, seu à concomitante.

Objicitur septimò; auctoritas S. Thomæ 2. contra Gent. c. 12. negantis dari in Deo relationes ad creaturas. Resp. manifestè ibi loqui S. Thomam de relatione prædicamentali, quæ in ipsius opinione est entitas à fundamento & termino distincta, non de transcendentali, quod aperte constat primò ex n. a. ubi asserit, id quod est actu, non dicere relationem ad id quod non est actu, sed potentia, & inde probat Deum non dicere relationem ad creaturas, sed certum apud omnes est, relationem transcendentalem esse posse ad id quod non est actu, seu non requirere existentiam termini, sed hoc proprium esse prædicamentalis, ergo de hac loquitur ibi S. Doctor, non de transcendentali, alioqui argumentatio ipsius esset planè inefficax, quod de tanto Doctore dici nullo modo debet.

Objicitur ultimus alius locus ejusdem S. Doctoris I. p. q. 25. a. 3. corp. ubi ait, convenientius dici, ea, quæ contradictionem involvunt, non posse fieri, quàm quòd alius locus Deus ea nõ possit facere, ergo censet esse in Deo virtutem ex se productivam impossibilem, & consequenter,

III.

Mysterium actus liberi non est ponendum in omnibus Dei attributis.

IV.

Hæc dependentia à possibilibus non arguit imperfectionem.

V.

Impossibile est omnipotentiam non arguis imperfectionem.

VI.

Dependentia à possibilibus non obstat conceptui entis simpliciter necessarij, & à se.

VII.

Mens S. Thomæ circa Relationem Dei ad creaturas possibilem.

VIII.

Objicitur S. Thomam.

Si omnia implicarent Deus non haberet virtutem producendi quicquid non implicat.

Res ex se sunt possibile, hæc tamen ut sic respicit Deus.

licet creatura omnes jam possibiles redderentur impossibiles, maneret adhuc in Deo virtus illarum productiva, sicque juxta ipsum omnipotentia attributum est omnino absolutum, & a creaturis penitus independens.

IX. Hic locus probat eum ponere essentiali connexionem Dei a possibilibus.

Sed contra, dum enim dicit convenientius tantum illud prius dici, quam posterius, significat aperte utrumque citra falsitatem dici posse. Convenientius quidem dicitur illud, ne ex modo loquendi, dum dicitur Deus non posse aliquid facere; suspicetur quispian in Deo esse aliquem defectum, seu carentiam virtutis, quam habere deberet: unde caute in hujusmodi loquendum, ex verbis enim, ut dicit solet, incaute prolatis nascitur heresis.

X.

Quamvis autem fatuus sit hoc modo loqui, ipsemet tamen S. Thomas, & alij Patres sapienter absolute

dicunt Deum non posse producere illud quod est impossibile. Sic enim S. Hieronymus in Ep. ad Eustochium, ait, Deum facere non posse, ut id quod praeritum est, non fuerit. Quod etiam expresse sapienter affirmat S. Thom. 1. p. q. 25. a. 4. citans S. Hieronymum, & Augustinum 1. 2. 6. contra Faustum, & Aristotelem 6. Ethic. cap. 2. idem asserentes. Nihil etiam frequentius apud S. Thomam quam potentiam Dei non extendi ad impossibile, & alia hujusmodi, ut 2. cont. Gentes c. 25. n. 7. & deinceps, ubi ait, non posse Deum facere idem simul esse & non esse, idem animal esse videns & cecum, quod si homo sine anima, quod si triangulus rectilineus non habeat tres angulos aequales duobus rectis, & similia. Ex quibus clare constat de mente S. Thomae hac in parte, ut quisvis haec loca perlegens facile perspiciat.

DISPUTATIO VII.

Qualis sit respectus materia ad formas, & causa ad effectus.

SECTIO I.

An materia formas, & causa effectus respiciat in communem.

I. Respectus materia ad formas est duplex.

Respectus materiae ad formas, duplex est, transcendentalis est essentialis illa connexio cum formis in esse possibili, quam d. 5. declaravimus. Praedica mentalis respectus idem est ac appetitus quo materia, ut in statu sit sibi connaturali, formam aliquam petit sibi semper unitam. Hic tamen ordo & respectus non est adeo strictus ac praecedens, supernaturaliter enim omni forma obdari potest. Sermo in praesenti de priori respectu est, seu transcendentali.

II. Dicunt aliqui Materiam respicere formas in communem.

Nonnulli sic philosophantur: ordinem transcendentalem materiae respectu formarum dicunt esse respectum, non ad hanc vel illam formam, & causae efficientis, non ad hunc vel illum effectum in particulari (idem de potentijs dicunt respectu objectorum, & alijs) sed ad effectum & formam in communem, unde, inquit, implicante quacumque forma, aut effectum in particulari, nec causa implicaret, nec materia, quia non respiciunt hanc formam ut hanc, aut hunc effectum ut hunc, seu secundum ultimam differentiam individuaalem, sed secundum rationem tantum aliquam communem, quae, inquit, quavis forma vel effectum permanente possibili, manet: si tamen formae omnes quas respicit materia, vel effectus ad quos causa ordinem dicit implicarent, implicaret, inquit materia & causa.

III. Non repugnat ut actus dicat ordinem transcendentem ad rationem aliquam communem.

Prima Conclusio: non repugnat respectus transcendentalis actus alicujus qui terminetur ad rationem aliquam communem. Hoc patet in nostra sententia in Logica d. 24. tradita, ubi ostendimus posse actum intellectus praescindere objective, & ferri in rationem communem ab inferioribus abstractam, quin representet rationes particulares cum illa a parte rei identificatas, & consequenter, si implicarent rationes omnes particulares, & sola esse possibilis haec ratio communis, persisteret eodem modo hic actus.

Secunda Conclusio: si daretur potentia quae solos posset elicere actus representantes rationes communes, tunc etiam potentia illa solam rationem communem pro termino transcendentali respiceret, & consequenter, si posset rationes illas communes manere possibiles implicantibus particularibus, potentia maneret, cum terminum sui respectus adhuc haberet integrum. Ratio hujus conclusionis eadem est cum praecedente, eum potentia non alio modo intentionaliter respiciat objecta quam per actus, unde quod de his dicitur, convenit potentiae & contra, objectum enim potentiae est objectum omnium actuum, & objectum horum, objectum potentiae.

Tertia Conclusio: intellectus pro objecto adaequato non habet rationem aliquam unam abstractam & communem. Pro objecto, inquam, adaequato, & Aggregationis, quod enim feratur intellectus in rationes etiam communes quas abstrahit & considerat, constat ex conclusionibus positis, & ex disp. 24. Log. ubi ostensum est intellectum objective posse praescindere. Quod vero nulla ratio communis quantumcumque late patens sit objectum illius adaequatum, etiam constat, considerat enim intellectus objecta diversissima secundum particulares eorum rationes, & prout inter se differunt, ut Deum & creaturas, substantiam & accidens, Petrum & Paulum, ens reale & rationis, ergo non rationes tantum communes, sed particulares etiam, ut particulares sunt objectum intellectus. Et licet haec omnia conveniant in ratione entis & veri, cum tamen intellectus per diversos actus illa omnia consideret, etiam ut differunt actus illi respiciunt in singulis, & considerant diversam rationem entis & veri. Unde implicante Petro implicaret actus illum representans, implicante autem hoc actu implicaret potentia, cum enim ex natura sua sit potentia elicitive talis actus, si actus implicaret, non esset amplius potentia illius elicitive, sed esse potentiam illius elicivam est praedicatum identificatum cum intellectu, ergo a primo ad ultimum pereunte Petro, perit hoc praedicatum, & praedicato pereunte intellectus.

Quarta Conclusio: potentia vitiva colores, & sensus omnes sua objecta transcendentaliter respiciunt, non in communem, sed in particulari. Ratio est eadem quae in praecedentibus conclusionibus, quia respectus